Matrona Ephesia Lugens.

Matrona Ephesia Lugens.

Matrona Ephesia.

SIVE

Lusus Serius

DE

AMORE.

à Gualt. Charletono, *M. D.*
ante decennium Anglicè
conscriptus,

Et nunc demum Latinitate donatus
à BARTH. HARRISIO, *A. M.*
Ejusdémq; impensis excusus.

Scilicet expectas ut tradat Mater honestos,
Aut alios Mores, quàm quos habet?
Juvenal. Satyr. 6.

LONDINI,
Anno Domini, MDCLXV.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·
DOMINUS ILLUMINATIO MEA

EPISTOLA

De Matronâ Ephesiâ

Viro cuidam Illustri.

Illustris Domine,

UT tibi ostenderem, quàm absolutum in me habes imperium, & quantulũ mihi supereſt facultatis, vel firmiſſimis mei Genii affectibus obſequendi, ubi ex tuis tandem juſſis intelligo, me tuis morem gerere debere; acritèr mecum pugnavi, ut innatum à ſcribendo horrorem ſuperarem, ac in di-

em unum aut alterum feriantem diu calamum resumpsi, sortitus in Argumentum historiolam compendiosam, ejusmodi profectò, ut ejus veritas inventionis meæ sterilitatem suppleret, ejúsq; jucunditas, styli mei inelegantiam, ingeniiq; morositatem minùs redderet ingratam. Tractat de formosâ ac ingenuâ muliere, cujus casus tam digni memoriâ sunt habiti, ut ab ipsius temporis diuturnitate, quâ multi potentes Monarchæ absorpti sunt, oblivione sepeliri non potuerint: neq; enim complures docti, præclaríq; ingenii viri, infra calamorum suorum dignitatem, eorum monimenta posteritati mandare, existimârunt.

Nomen mulieris tibi edere nequeo, Authoribus quibus usus sum, in hac parte unanimitèr conticentibus; at tibi licet, si libet, Peregrinam Græcam *eam nuncupare. Postquam eam* Græco, Romano, Germanico,

&

& Gallico *cultu videram ornatam, & tam nativum in eâ conspexeram decorem, ut sub unoquoque, quo ingenioſi eam externi concinnârunt, habitu, lepida atq; amabilis videretur; necnon certior ab iis factus, vel Principes ipsos, summâ eam aliquando foviſſe gratiâ; in mentem mihi venit, eam more* Anglico *etiam veſtire, quò tu eam noſceres, & an hic noſtras amictus, non æquè ac cæterorum quiſvis, ſit elegans atq; decorus, judicares. Si fortè mundo nimis gravi atq; ſolenni eam indui, pro genii mei more, (qui triſtioribus ſanè coloribus, & veſtibus inambitioſis atq; utilibus delectatur) adeò ut jam* Philoſophi *potiùs quàm* Aulici *videatur Amica, id equidem feci, quia nolui eam videri prorſus alienam, ac moris hodierni inſciam; ubi ſumma levitas atq; licentia, ſeveriſſimis vultibus, & cultui quàm maximè ſobrio involuntur,*

ac fluxum plerumq; libido verecundiæ usurpat velum. Neq; enim gemmis aut lascivis ornamentis eam fulgere volui, tum quia ipse non habeo, tum quia illis solùm competunt, quæ quum ad spectantium intuitum explendum nativa illis desit pulchritudo, quò minùs defectus suos discernant, Margaritarum, Adamantum, & Carbunculorum fulgore eorum captant oculos; quando hæc nostra Matrona tantùm Naturæ largitati debet, ut vilem Artis munificentiam dedignetur, ac tam facilè ei persuadeas ut fiat Adamita, *quàm ut lapillis utatur pretiosis. Attamen tibi recipio, fundum ejus elegantem, mundam & candidam esse, licèt impolitam, & nulla turbasi nitentem; & quoniam luget, atro eam operii velo, quod quoties rubores contegendi exoritur occasio, deducit; & ubi apertiori libet esse fronte, & subridentium oculo-*

rum

rum fascina detegere, replicat.

Neq; ætatem ejus accuratè tibi ex calculo significare possum, quamvis ad Imperii Romani ætatem, quæ est aliquot centenis annis Vago Judæo superior, eam propè accedere conjiciam. Sed non est quod hoc te despondere faciat; est enim adhuc juvenis, vegeta atq; lasciva, nec ulla in ejus ore ruga; adeò ut cuidam generoso, qui me in ejus consortio ex improviso oppressit, fidem facere haud potuerim, quin mea esset filia. Porrò, quicquid immortale est, (ut illa videtur esse) usque (scis) juvenescere ac florescere debet.

Si Religionem ejus petis, fateor me etiam nullam tibi posse dare rationem, quum (contrà plerarúmq; ejus Sexus morem) in hac parte apprimè sit cauta. Atqui si ex quibusdam ejus actionibus conjectare licet, crederem illam Epicuri fidem profiteri, Naturæ matris auspicia sequendo, &

juxta simplicem affectuum suorum regulam degendo, ut quæ contradictionem reatur, sub unâ lege nasci, & alterâ teneri; aut saltem Familiæ Amoris esse sororem, *quæ, quicquid libertatis cum* Fratre Sancto *exerceat, nihil habet pensi, & familiaritatem suam* zeli fervore & Spiritus suggestionibus *tueri sustinet. Noli igitur* Vestalem *eam existimare, aut quæ Naturæ consilium pervertere statuerit, & Creationis suæ finem abjuraverit, licet in Crypta lugentem, ac parvulum cereum videas juxta eam ardentem: est enim revera* Sacerdos Cypria, *voluptatis Deæ sacra,* Priapi *zelo accensa; cui, quum Altari, Thure, & Igne instruatur, nil aliud deest, præter Flaminem, ad ejus sacrificium animandum.*

De Ingenio ejus si quæris, perfectam eam in omnibus deprehendes mulierem; leviter mutabilem, ab

animi

animi æstibus rarò immunem, eodem temporis articulò flentem simul ac subridentem, unâ operâ ex Ossiario in Thalamum exsilientem; violentum ob maritum nuper vitâ defunctum, dolorem, in novi Amatoris amplexuum solatium convertentem; nunc ima desperatione furentem, nunc summa fruitione gestientem; modò seipsam interficere conantem, modò alteri procreando operam dantem, ac posteritati prospicientem; prudentiorem, quàm ut blandam officium respuat oblatum, aut propitiam negligat opportunitatem; vel advenæ & ignoto, ac primo congressu, perquam facilem atq; amicam; libertate, ac blanditiis, ubi diligit, plenam; ad amici errores excusandos juxta ac palliandos promptam; ac in commentum, quo repentinum & imminens periculum avertatur excogitando, mirabiliter ingeniosam. Et quid amplius desiderare potes in muliere?

His omnibus eximiis dotibus non obstantibus, liceat mihi non solùm rogare, sed adjurare etiam te, ut eam arctè in Gynecæo tuo teneas captivam, quò nullis, nisi tuis pateſcat oculis. Non quod pudicitiam, aut famam ejus habeas ſuſpectam; (altera enim vel ipſius Petri Aretini, *ſi vivo cum vivâ intercederet conſuetudo, illecebris repugnaret; ac ipſa ſatis pollet ingenio, ut alteram ſartam tectam ſervet) ſed nè contumeliis & injuriis ab Heroinis noſtris impetatur, quæ cum tantæ imbecillitatis fœminâ, ut ſexûs ſui fragilitates, ac arcana prodat, atq; aperiat, in gratiam nunquam redibunt. Præterea, quod cum earum delicio,* Amore Platonico, *ex profeſſo bellum gerit, ingenuéq; fatetur ſe nullas alias agnoſcere flammas, quã quæ è ſexûs differentiâ naſcuntur, ac in ſanguine, alìſq; luxuriantibus corporis humoribus accenduntur; atq;*

adeò

adeò suos Amores ad aliquid magis Materiale, quàm simplices Virtutis Ideas, de quibus Philosophicæ Dominæ nostrates tantoperè fabulantur tendere propagandum: Quàm Hæreticam Doctrinam si tandem ab illâ prædicatam accipient, non omnes in orbe armatæ Acies eam ab Orphei fato propugnabunt; neq; verò ipse tu Domine, cum omnibus orationis tuæ elegantiis, reliquisq; demulcendi artibus, causæ ejus patrocinari, ac ab odioso Mulierum Osoris nomine teipsum tutari poteris. Ut igitur hujúsce Ephesiæ societatem ac Dominarum gratiam pendis, fac eam tibi asserves: sin aliter fieri non potest, quin te ex eorum apertorum numero, qui nullam voluptatem plenam esse putant, donec eam jactitaverint, ostendas; sacris tamen amicitiæ legibus tam æquus esto, ut quis eam in Britanniam, ad tuum duntaxat animum clam oblectandum duxerit,

duxerit, nunquam patefacias; ac deinde, qui ei malè volunt, Magnum Oraculum suum Lillium *consultum adeant, quo pacto reperire possint.*

Honoratissime Domine,

Humilimum tuum
Servum, &c.

LUSUS SERIUS

In Petronii Arbitri *Matronam Ephesiam.*

MERCATORIS cujusdam Ephesii filia, admirantium iftius populosæ & opulentæ urbis Juvenum oculis diu petita, ac à multis, quorum amplæ facultates spem illis dederant ad exitum votis suis congruentem perveniendi, in matrimonium ambita fuit. Nec potuerunt eorum vota non esse, & justa & laudanda, dum figebantur in virginem, ad quam summis ornamentis

tis illuſtrandam, formæ præſtantia, ingenii acumen, animi ingenuitas, modeſta educatio, & (quæ his ancillari ſolet) honeſta fama, conſpirarant. Hæc virgo, inquam, in uxorem tandem dabatur nobili ſtirpe Juveni, in quo nihil quidquam deſiderabatur qnod illum & benè ornatum, & amore dignum redderet, præſertim in hujus oculis, quæ paribus illum flammis redamabat, nec aliam volvebat animo felicitatem, quàm mutuum ejus affectum atq; conſortium. Adeò ut omnes (exceptis unicè æmulis) beatitudinis mortalis ſummam, ex tam inſigni conjugio conjicerent enaturam.

Sed ecce humanæ felicitatis inconſtantiam! Quippe hoc par Turturum non diu mutuæ conſuetudinis perceperat voluptates, quum Fata, perrarò amantibus diu propitia, irruerent, & æterno mortis divortio eos derimerent; marito ad diuturniorum deliciarum ſtatum ablato, & miſellâ viduâ tam funeſti mœroris gravamini relictâ, ut à calamo quantumvis Tragico haudquaquam deſcribi poſſit: tam violentus enim

enim erat ejus luctus, ut brevi profectò morâ, tam tenerum delicatúmq; corpuſculum proculdubio exanimaſſet, niſi conſilium condendi *Suum Chariſſimum Totum* (ſic enim ſolebat eum appellare) in tumulo, ea pompâ, & exequiis, quæ ejus natalitiorum gradui, ſuóq; dolori competere viderentur, aliquantum ad ſalutem ejus conduxiſſet. Imò & hoc, tantùm fortuitum erat præſidium, ac ejuſmodi etiam, ut ad ejus eventum rectè collimare non valuerit, cunctis vulnerati ejus animi facultatibus imagine jacturæ correptis, omníq; ſolatii lumine excluſo, præter exiles, & languidos iſtos radiolos, qui, è ſpe properandi, eúmq; prævium aſſequendi, in nubilâ ejus mente aboriebantur.

Sed eheu! multum de ejus fidelitate videor detrahere, quum ſpem dico: quippe in conſilium jam adoleverat ſpes, ſdq; firmo animi Sacramento munitum, vel ipſius mortis maliciam ſuperandi, ac maturâ manium in Elyſio reunione, eam in altero mundo recuperandi voluptatem, quam in hoc, Deorum crudelitate ſibi lugebat ereptam.

Et

Et ſecundùm hoc nimis rigidum Sacramentum omnigena alimenta ſpernit: nihil, præter auram frigidam in os admiſſo, ſimul cum lacrymis ab, olim lucidis ac rutilantibus, nunc verò nubilis & tumefactis, oculis, perpetuò ſtillantibus: atq; hoc, importunis parentum, & amicorum ab una parte, precibus, ab altera verò Naturæ neceſſitatibus, quæ acriter illam urgebant, ut ſui miſereretur, ſibíq; opem ferret, contemptis. In hoc lugubri ſtatu dies integros quatuor noctéſq; conſumpſit, omnium rerum conſpectum, præterquam quæ à dolore ei inferebantur averſata, & confuſam perpetuo cruciatu torquens memoriam, quo lapſarum felicitatum referret imagines, & præſentis ærumnæ ſenſum aggravaret. Quod tamen ad ſuam perniciem maturandam non ſuffecturum rata, in ipſum hypogæum, ubi viri ejus reliquiæ recens erant conditæ, clanculùm ſe confert, ibíq; in udum recumbit ſolum, fixis in ejus arcam oculis, ne fortè cogitationes à proprio objecto aberrarent.

Hoc

Hoc (dicet quiſpiam) erat rarum muliebris conſtantiæ indicium, & tantâ profecto admiratione dignum, ut jam in confeſſo ſit, huic piæ Matronæ, in iſtarum heroicarum conjugum coronâ, quæ meliori ſui parti (Maritis puta) ſupereſſe dedignantes, pro ſingularis fidei, amoríſq; conjugalis exemplis, poſterorum laudibus in cœlum feruntur, jure merito Laurum deferri debere. Et ego quidem ingenuè fatebor, permagnum debere eſſe amorem ejus, qui illam ad tam generoſum doloris gradum, & ad tam magnanimum conſilium evexerit ; átq; adeò non dubito, quin tua miſericordia eoúſque permoveatur, ut ejus periculo te jam tangi ſentias, ac lubens in cryptam, ut eam à tam imminenti, tamq; crudeli morte vindices, irruere velis. Sed eheu! ſtat illi ſententia ; & tua humanitas in ejus calamitatũ protractionem tantummodo degeneraret. Quippe in vitâ nihil ſenſit deliciarum, niſi in Amatoris ſui (cujus portio mortalis jam in vinculis æterni ſomni jacet) conſortio, atq; adeò vel leviſſimi vivit ſolatioli incapax, niſi

ab

ab hoc, quod ipſa celeriùs occurrens, dilectam ejus umbram excipiat amplexu. Siquid igitur tua commiſeratio ad ſolamen requiémq; ejus valet, in illâ occidendâ exerceatur, & gladii tui benevolentia tabificos famis, fletúſq; ejus cruciatus antevertat. Atqui ſcio te benigniore eſſe animo, quàm ut illam extinctam velis; ſed tamen, vel ſemel cogitare, illam, poſt hæc omnia, cum vitâ in gratiam redire poſſe, eſſet & ejus, & totius Sexus odium in te laceſſere. Quid igitur agendum, ut ejus ſaluti conſulatur? Agedum, expecta pauliſper, & videbis, quanto miraculo Fortuna, quò tibi, cæteríſq; ejus amicis gratificetur, eam ſervârit incolumem.

Fortè evenit, quod eo ipſo die, quo juſta ejus marito perſolvebantur, & corpus ejus in Majorum Mauſeolo condebatur, homo inſigniter flagitioſus extremum patiebatur ſupplicium, ejúſq; cadaver in terrorem viventium, ut tam funeſto ſpectaculo moniti iſtiuſmodi ſcelera caverent, ſuffixum patibulo linquebatur. Et ne quis Sceleſti affinis,

ſive

sive socius laniatum corpus tolleret, & clam noctu inhumaret, Edicto publico cautum est; ac jussu Magistratus statio militum propè patibulum excubabat, capitali supplicio ei, qui incuriâ, somnolentiâ, aut absentiâ, officio suo deesset, renuntiato. Attamen initâ jam nocte, milites tam levi munusculo unum suffecturum rati, sorte inter se agitant, cuinam eorum obtingat excubare; & cum sors caderet in quendam, de cujus vigilantia dubitandi non erat locus, reliqui omnes, quo meliùs à gelidæ crudæq; noctis injuriâ seipsos tuerentur, in proximum œnopolium se recepere, hoc uno ad cadaveris custodiam relicto.

Illi verò non prius abierant, quàm hic etiam frigoris impatiens, & neminem vitæ periculum quo lacerum Furciferi cadaver suffuraretur, aditurum confisus, suffugium ipse, & quietem meditatur; atq; adeò recordatus, spatiosam quandam Cryptam (eandem scilicet in quam pullata Matrona nostra seipsam abdiderat) esse sub Templo è regione cujus erigebatur patibulum, in

eam

eam ſe ſubducit, occultâ ſui boni Genii manu haud dubiè ductus. Fornicis fauces ingredientis, oculi exilis, languidulæq; lucis radiis, ab altera ejuſdem orâ emicantibus, ex improviſo ſalutantur; ad cujus conſpectum horrore ſubito correptus eſt; quo tandem gradatim vaneſcente (quippe omnia formidoloſa primo intuitu videntur maxima) curioſitas mox ſubigit metum, eúmq; propius ducit, dum tandem conniventis cerei beneficio (qui horridam loci opacitatem nondum ſuperaverat) aliquid cernere poteſt, quod ſpeciem mulieris refert, cultu quidem luctuoſo, ſed vultu longè triſtiori, humi recumbentis, brachiis in morem ſupremi doloris complicatis, & capite tam negligenter demiſſo, ac ſi in Sandapilam ante pedes ejus poſitam eſſet delapſura. Ad hoc tam novum mœſtúmq; ſpectaculum aliquandiu attonitus hæret, ac animo reputans viſum phantaſticum non poſſe eſſe, quum omnes, de Umbris, Spectris, Dœmonibuſq; humanâ formâ apparentibus fabulæ, nihil aliud ſint, quam fraudulenta Satraparum, Sacerdo-

dotúmq; figmenta, quo vulgus in tenebris probitatem colere cogant, ac metu à vitiis abſterreant eos, qui ſolo virtutis amore ducti eam non perſequerentur; cunctas inanes terroris imagines abarcet, & ad cereum intrepidus progreditur. Impedimento intervalli quo oculorum ejus acies obtuſa ita perſtringebatur, ut quod mirabatur, accuratè perſpicere non poſſet, nunc amoto, calamitoſam Dominam impenſè contemplatur, & protinus ſenſum ſuum nullo phantaſmate deluſum comperit, ſed reverà mulierem eſſe quam cernit, prout primo intuitu augurarat: neq; enim luctus & languoris Matronæ eclipſis obſtaculo eſſe poteſt, quo minus nitorem quendam faſcinantem, & ſpecioſa vultus ejus lineamenta irradiantem facilè deprehendat; ſimul cum tremendâ quadam & majeſtate plenâ ſuavitate, qualis reverentiam cultúmq; intuentium animis incutere ſolet, & quæ perpetua formæ ſingularis comes, ſub alieniſſimo cujuſvis affectus habitu latere non poteſt. Hìc venuſtatis ejus divinitate animum militis ab una parte

cor-

corripiente, & prodigioso cultu ab altera eam obscurante, tanto stupore obrutus hæret, ut non procul à statuâ abesse videatur. Sed lumine rationis, istas anxietatis nubes paulatim perrumpente, atq; disjiciente, animum resumit, ac eam alloqui statuit; quod quum facturus est, evenit, quod Matrona, fesso capite sublato, explicitísq; oculorum velis, (quæ hactenus obducta permanserant) quò paululum mutato gestu, quiescant, conspicatur hominem, aut Umbram (nam adhuc dignoscere nequit) sibi assistentem.

Inopinato spectaculo primùm levitèr perculsa est: sed dolori penitus intenta hæret, ac si animi certa sit extremum malorum se jam passam esse; atq; adeo si Umbra sit, nullum aliud nuncium afferre, quàm ut se invitet, accelerétq; ad locum, quo Charissimus ejus Consors præierat; si homo, tam inhumanam esse non posse, ut innocui sui luctus quietem interturbet. Hæc argumenta (inquam) illam tam cito sibi restituerunt, ut adventus ejus rationem poscere sustinuerit; quod his ferè verbis exorsa est. Amice

Amice (inquit) (& quisquis es profectò, nihil aliud potes esse mihi, quæ nullum habeo (præter vitam) inimicum) ecquid vis mecum? Si quid vis, dic liberè; etenim vel pessima quæ afferre potes, audire non horrebo. Quippe Fatum cruentissimo perniciosissimóq; pilo suo me jam transfixit; atq; adeo quæcunq; secutura sunt, gratiarum loco accipiam. Calamitas mea, quamvis permagna, hoc solatium sibi fert annexum, quod major esse non potest. En tibi hìc (Arcam digito ostendens) hìc jacet cor meum, mortuum, ac marmoris instar, frigidum; & si ipsa tibi superstes videor, in causa est tantum, quod mœroris anima me vivam tenet paulisper, dum meipsam accingam, ut idonea descendam Umbra, ejus Umbræ comes, quæ jamdiu me præstolatur. Sin autem fors te huc adduxerit, cur non abis? Quid unquam injuriæ tibi feci, quo impulsus mihi sic invides pacem hujusce solitarii recessus, loci nimirum defunctis, duntaxat sacri atq; peculiaris, in quorum dormitorium irrumpere, nisi Lugentibus, scelus est (non nescis)

ægrè

ægrè expiandum. Abscede igitur sodes, priusquam graviùs pecces, ac sine me absolvere sacrificium, ad quod hìc loci immolandum, & fidei & voti vinculo obstringor.

His vocibus, subiracundè sanè, & tam vehementer ac semianimis ejus corpusculi debilitas ferebat, prolatis; miles modestè refert; nullo se consilio, ad illam saltem spectante, sed casu tantummodo ductum, in hunc locum, ubi nihil præter horrorem atq; insalubres vapores sedem habere autumat, perveniisse; conspectum mulieris illic, nocte intempestâ, solitariæ, ac tam insolito cultu gestúq; apparentis, satis esse causæ, cur detur admirationi suæ venia, atq; adeo curiositati, cui utì satisfaceret, ad eam accessisse. Quod si hoc facto imprudens illi obstiterit, quo minus pacatè funestos hos ritus, quibus anxius ejus genius delectatur, (qui quales sint nescit) peragat, se culpam hujus infortunii deprecaturum. Verùm, quoad Manes, quorum corpora ibi deponuntur, seipsum prorsus sentire insontem, ut qui nullo tam atro propo-

sito

sitò ductus eò venerit, ut reliquias eliminare, sive sepulchra eorum violare velit. Deniq; si ingratus illi adsit, (cui animi serenitatem vultus suavitati optabat parem) se statim decessurum, licèt ingenii sui liberalitas non patiatur, quin aliquam doloris ejus partem ipse sentiat, atq; adeo moveatur, ut illi, quod potest offerat auxilium; quod tamen magnum fatetur non esse, si ingens, inter sortis suæ tenuitatem, educationisq; rusticitatem, ab una parte disparitas, ac prudens consilium, argumentáq; consolatoria quibus ipsa caret, ab altera æquâ lance pendatur. Utcunq; verò, si ejus opera, imò vita ipsa, ei usui esse possit, liberum in utrámq; accipiat arbitrium. His dictis, silescit.

Ad hæc Matrona, mirâ viri humanitate atq; clementiâ, (quem ex armaturâ agnoscit esse militem, atq, adeo responsum atrocius, magisq; ad ejus ordinis ac professionis homines accommodatum, solicitè expectat) nonnihil tacta, conatur assurgere, & cum gratiis benignitati ejus debitis illum dimittere; quum macerato ac languido ejus corpusculo,

P. B. 41. spi-

Ea.

spiritibúsq; exantlatis, animæ ejus imperio fungi non valentibus, Syncope delapsa, in mariti sui Arcam elinguis & enervis procumbit. Quo viso, pius miles, ne ultimo suspirio, quod è pectore cadentis erupit, animam ipsam exhalasset veritus, ingenti stupore perculsus est; usq; adeò tamen mentis compos mansit, ut eam ulnis sublatam, leniter reclinato capite, & vino ex utri (quem, quo contra cœli frigiditatem, humiditatémq; seipsum confirmaret, secum attulerat) ori ejus infuso, ad vitam revocare festinaret. Quod quidem deficientes ejus Spiritus tantopere reparavit, ut corde ac arteriis intermissos pulsus renovantibus, derepente ad se redierit; sed tam languidè tamen, ut quamvis vitalia ejus Organa officiis suis rectè fungi viderentur, cætera quæ sponte moventur, funditùs deficiebant. Quod animadvertens miles, ac nihil dubitans, quin quum à vi vini tantuli ei infusi, tam feliciter medelam ejus auspicatus sit; idem, si modo uberiori subministretur, eam prorsus absoluturum, utrim secundò ori ejus admovet,

& hauſtum copioſum eam imbibere cogit. Merum autem, ſubtilitatis ſuæ ope, mox per totum ejus corpus diffuſum, & ſpiritus immodico dolore, longáq; inedia conſumptos reficiens, tantum in illa potuit, ut jam non ſolùm vitæ, ſed viribus internis etiam, ac ſe movendi facultati (oh! quis hujus divini liquoris præſtantiam ſatis admirari poteſt?) ſe ſentiat quodammodo reſtitutam: adeo ut in pedes erecta, & ad medicum ſuum converſa, oculis, vultúq; tam benigne ſuavitérq; compoſitis, ut facilè ei conſtet, officia, quæ ab ejus pietate acceperat, injucunda ſibi non fuiſſe, nullo alio grati animi exhibito indicio, in ſandapilam, quò paululum quieſcat, decumbit; ſolitario incultóq; loco aliud ſedile non ſuppeditante.

Jam verò miles, proſpero auxilii ſui ſucceſſu confirmatus, & iſtius tranquillitatis, quam à vino, animo, ſpiritibúſq; ejus inſtillatam cernit, occaſione prudenter uſus, blandis rationibus (nam argumentorum Rhetoricorum erat rudis) eam monere incipit, quantum in-

terſit, ut corpus ſuum maturo aliquo ſublevet refrigerio; nec loco reſpondendi ei relicto, abjectis cunctandi ambagibus, peram ſuam ilicò aperit, & quicquid frigentis plebeiſq; peni, in nutrimentum ſuum ſecum attulerat, effundit, eíq; ſummâ, quâ poteſt propter loci incommoda, reverentiâ, offert; enixè precatus, ut ſui miſerta, uno alteróve ſolidi cibi fruſtulo, vim vino præſumpto adaugeat, ruſticitatémq; tum dapium tum morum ſuorum æquo accipiat animo, quum ſalus ejus à repentina aliqua refectione maximopere pendeat, & ipſe in præſentiarum nullum habeat eâ digniorem apparatum.

Jam verò, an ſolius Fati potentiæ, quæ vana hominum conſilia eludit, animóſq; noſtros, undarum inſtar circumvolvens, geſtit nobis patefacere, quantula ſit ea poteſtas, quæ nobis ſuperbis mortalibus in noſmet ipſos relinqui videtur; ſeu molli ac lenienti vim efficaciæ, quæ (proculdubio) & ſumma & præſentiſſima eſt adverſus extremum dolorem antidotus; ſive militis argumentorum energiæ, quibus licet tam comptæ ambi-

bitioſæq; orationis nervis non niterentur, videtur & pondus & pretium ineſſe; ſeu deniq; occultis Amoris plagis (ut Philoſophi loquuntur) quæ, quum ſemper ex improviſo altiùs vulnerant, idq; toties in adverſis quoties in proſperis degentes, (nos cauſâ latente) à Laſcivo illo Deo, Matronæ hujus cordi ita infligi poſſent, ut omnes mentis ejus caligines diſpellerent, impetuſq; ſedarent, atq; adeo eodem temporis articulo, cunctas animi facultates, ad clavem omnium affectuum ejus dulciſſimum, placidiſſimámq; rurſus temperarent. Cuinam (inquam) ex his cauſis veriſimilibus, ſeu omnibus ſimul conſpirantibus, tribuendum ſit miraculum, fateor me non poſſe dijudicare; ideóq; tam ſubtilem quæſtionem ad Sapientes rejicio, qui in mentium vuliebrium penetralia rimari præ ſe ferunt. Sic autem evenit, ut Matrona noſtra, jam luctus ſui potens, cibos ſibi appoſitos lubens aggreſſa ſit, moderatéq; delibârit tranquilla oculorum ejus feſtivitate, internam quam Natura ſenſit voluptatem, ſuaviter detegente.

Hoc conſpicatus miles noſter (quem ſtultum fuiſſe, ex hac narratione, nefas eſt credere) ſimúlq; ſibi conſcius, matúro aliquo à ratione auxilio, prudentíq; conſilio ei tam opus eſſe ad animi tempeſtatem compeſcendam, quam cibo potúq; ad macerati corporis vires reſtaurandas, mente cepit agitare, cujuſmodi alloquio doloris ejus impetum mitigare conaretur. Et quanquam Philoſophiæ Oratoriæq; erat expers, (mente ejus argumentis conſolatoriis haud tam ubertim inſtructâ, ac Pera & Uter fuerant annonâ) uſq; adeo tamen erat particeps naturæ luminis, (quod, ut complures docti volunt, in anguſtiarum tenebris, caſibúſq; ſubitis, clariùs effulget) ut eo duce, auſus ſit illi dicere, quod licèt moderata corporis maceratio, animíq; contriſtatio ob amicorum & conſanguineorum interitum, non omnino ſit vituperanda, quum ſint indicia iſtius amoris & obſervantiæ, quâ illos proſecuti ſumus ſuperſtites, & vivida naturalis affectus monimenta, ſine quibus homines in brutorum feritatem degenerant; immodicus tamen dolor,

dolor cruciatúſq; non modò Rationi, verùm etiam Naturæ adverſatur: Rationi, quod nullum refrigerium, ſive ſolamen mortuis ſubminiſtrat, ac longè minus ad vitam eos revocat, in eo nimirum ſtatu poſitos, cui nullum nec commercium, nec uſus cum vivis intercedit: Naturæ, quod corporis valetudinem minuit, mentíſq; claritatem obnubilat, quæ utraque, ſummæ ſunt viventium opes, & quas ut tutemur, unuſquiſque noſtrum lege Naturæ pro virili niti debet. Porro, ſi eouſque à doloris impetu ſe paſſa ſit rapi, ut ſibi mortem afferre decreverit, prout voce & geſtu in eo loco, (qui aptum ad ejuſmodi Tragœdiam exhibendam eſt theatrum) videtur indicare, funeſtam ſententiam ilico abjiciat: quippe nullum ſcelus homicidio conferendum; & inter omnia homicidii genera, ſui ipſius cædem maximè deteſtandam, quam Numen ipſum tantopere execratur, ut vel ipſi naturæ noſtræ legem Salutis Propriæ inſculpſerit, eo quaſi conſilio, ut eam præveniret; atque adeo, ſi tantum cœlo ineſt miſericordiæ, ut eam

veniâ dignetur (quod ſibi perſuadere periculum eſt) manes tamen mariti repugnabunt; quia, ſi eam dum vixit, charam habuerat, ei cordi non eſſe poteſt, ut vim ſibi quamlibet afferat; imo potiùs tam ſceleſtæ mulieris ſocietatem (ſi quid res ſuperſtitum Animæ Defunctæ aut curant aut ſentiunt) inter Umbras horrebit.

Hoc audito, pia Matrona non poteſt, quin ſibi conſulentem interpellet, ideóque ſic refert. Veritatem, gravitatémq; ſermonis ejus ſe maximè agnoſcere; attamen (tum gemuit) ſe tantì virum amiſiſſe, quantì nulla unquam conjux amiſerat: atque igitur, ſi dolor ejus tam violentus ſit, ut ſuperari non poſſit, miſericordiam potius ſe, ac veniam, quàm reprehenſionem & opprobrium à Diis Hominibúſq; mereri. Plura dicturæ recens lacrymarum rivus per genas defluens, liberum labiorum motum ſurripuit.

Hoc videns miles, ac ne animi deliquio rurſum corriperetur veritus, ad *antidotum utris*, de cujus ſucci vitalis vi tam felix experimentum ceperat, mox re-

recurrit, abjectàque morâ, alterâ manu caput ejus tollit, dum alterâ, copioſâ reſidui liquoris potione, eam perfundit; neque enim illa calorem vigorémq; ejus in ſtomacho priùs perſentit, quàm lacrymarum fontes areſcunt, frons ſereneſcit, totáq; nativa ejus ſuavitas in vultum redit: imò ampliùs, noviſſimus hic hauſtus, tam divinum in morem in ea operatur, ut priſtinam animo ejus tranquillitatem, manſuetudinémq; affatim re-infundat, illámq; quàm maximè affabilem, facetam, feſtivámq; reddat; non ſecus profectò, ac ſi novam animam ei inſpirâſſet. Ingenti hac mutatione perpenſâ, quis mentis compos manere poteſt, dum vini virtutes conſiderat, aut à *Patris Sanchi* precatiunculâ, ut *Numen iſtius Cœleſtis Nectaris copiam ei deeſſe nunquam pateretur*, temperare? Verum enimvero, argumentum noſtrum adhuc triſte eſt, itaque ad magìs ſeria redeamus. Quippe ſagax quiſpiam *Epicuri* diſcipulus (in media narratione nobis occurrens) occaſionem fortaſſis arripiet *præſtantiam immortalitatémq;* nobilis iſtius *Eſſe*, (putà *mentis*

humana) vituperandi, & ab exemplo vini tam ſublimem in morem, in hac calamitoſa Domina operantis, ſic in illud diſputandi.

Quod ſi affectus & voluntates noſtræ ab humoribus temperamentíſq; corporum noſtrorum tam immediatè pendent, ut ex iis quodammodo naſci, & ſcaturire videantur; & ſi humores, temperamentáq; noſtra, pro variis potuum, eiborúmq; quibus veſcimur, qualitatibus, tam facilè citóq; variantur, (utrumque autem conſtare videtur in hujus *Epheſiæ* caſu, quæ generoſâ meri ſubtilitate, ac ſuccoſo cibi nutrimine, vel uno momento quaſi, per totum corporis habitum mutabatur; nempe ex mœſtiſſima ſummáq; deſperatione furenti, in mitem, tractabilem & facetam, moroſitate atque pertinaciâ ſeipſam interficiendi excuſſâ, & in liberam affabilitatem, morigerámq; alacritatem verſâ) cur non ſentiendum eſt cum Magiſtro ejus *Epicuro*, animam nihil aliud eſſe, quàm *compoſitionem ſive contexturam* ſubtilium Atomorum, tali modo figuratarum ac diſpoſitarum, necnon

tali

tali activitate præditarum, ut corpus inaniment, cunctáq; ejus membra atque organa ad agendum excitent? Sive cum *Galeno*, animam non esse nisi harmoniam Elementorum, in compositione corporis principio concurrentium, & in eodem tenore, à subtilissimarum purissimarumq; alimenti nostri partium supplementis, durante vitâ continuatarum? Præsertim si pensitamus admirandos vini effectus, quod habet in se vim, non temperamentum corporis modò, sed & animi quoque transmutandi, affectus nostros quàm maximè refractarios, effrænósq; supprimendo, alióſq; in eorum vicem æquè violentos exciendo; denique cupiditatum affectuúmq; nostrorum acum ab altero ad alterum Extremum circumversando, & à puncto ad punctum per totum circinum circumagendo, ac si ipsum Anima esset; aut saltem, quasi summo cum imperio animarum optimæ præesset.

Jam verò, si quis futilis *Epicuri* prævaricator nobis hoc obstaculum objecerit, quamvis Matronam tam sanæ menti restitutam inviti deseramus, honos tamen

men huic Divinæ Subſtantiæ quam iſte vilipendere conatur, à nobis debitus, jubet nos pauliſper digredi, eúmq; brevi refutatione dignari.

Sciat igitur, omnem hominem individuum duas habere animas diſtinctas, alteram *Rationalem*, ſive *Intellectualem*, atque *Incorruptibilem*, ut ab Origine Divinâ, Spiritu nempe Creatoris profectam : alteram verò *Senſitivam* tantùm, ex Elementorum ſinu productam, brutis animantibus etiam communem, ideóq; interitui obnoxiam. Hæc *Poſterior Anima* (ſeu magìs propriè, *Spiritus*) Commune eſt Vinculum, Cæmentum ſive Ligamen, inter Cœleſtem Incorporeámq; *Animæ Rationalis* naturam, & *Terreſtrem, Corporeámq; Corporis naturam*; necnon immediatum Organum, ſive Inſtrumentum, quo Anima Nobilior, in Corporis Organis, informat & agit. Jam ergo, quanquam non inficiamur, quin *Anima Rationalis*, propter affinitatem ejus cum Corpore, ſit aliquo modo Materiei legibus ſubjecta; atque adeo, humores, temperamentúmque Corporis aliquam habeant influentiam,

ſive

ſive poteſtatem alterandi, operandíq; in animum, maximè puſillanimorum, qui armis Rationis, quibus Appetituum Senſualium motus impetúſq; adoriantur, & ſubigant, non utuntur; tamen, ut impreſſiones quas Corpus in Animum facit, ſint ejuſmodi, ut materiam miniſtrent de Animæ *Immortalitate* dubitandi, ſeu de Summo ejus in corpus Imperio detrahendi, nequaquam poſſumus concedere.

Non de *Immortalitate*; quia ſicut Infans in Matris utero, quamvis dum corpori ejus manet annexus, omnium motuum, caſuum, atque ſymptomatum matri accidentium, fiat particeps, debito tamen tempore ab ea ſeparari poteſt, ac à primo Compatibilitatis ſtatu, in alium Singularis Subſtantiæ emancipari: ſic etiam *Anima Rationalis*, licèt, dum Corpori connectitur, cunctis ejus affectibus, ægritudinibúſq; ſit obnoxia, debitâ nihilominus tempeſtate à Corpore ſejungi poteſt, eſq; in æternum ſuperſtes, in Simplicitatis atque Incompatibilitatis ſtatu permanere.

Neque

Neque de *Summo in Corpus Imperio*; propterea quod, velut Monarcha, quanquàm ſupremam, abſolutámq; poteſtatem habet in Subditos, Famulorum tamen gratiâ nonunquam flecti poteſt, idq; nec ſubjecta perſonâ, neque minuta potentiâ; ſic Anima, quamvis ejus Subditi, Corporis affectus, ut morem ſibi gerat, eam interdum flectant, atq; adducant; hoc tamen de ejus naturæ præſtantiâ, ſive de abſoluta ejus in Corpus dominatione, nihil quidquam derogat. Præterea, omnes affectuum mutationes, quæ ab humorum varietate, corporiſq; temperamento oriuntur, ſeu cibo, ſeu vino, ſive alia quavis cauſâ gignantur, ſumma injuriâ animo imputantur, vel *Anima Rationali* ipſi, (cujus Eſſentia Simplex ab omnibus Eſſentialibus mutationibus eam ſecernit) ac revera non ultrà tendunt, quàm ad *Senſitivam*, ſive Cerebrum, quod eſt Organum ejus principale. Quocirca ſicut ab excellentis Muſici peritiâ, atque dexteritate minimè derogat, quod vitioſum & malè temperatum Inſtrumentum ad harmoniam modulari nequit; ſic itidem,

dem, ab Animæ dignitate non detrahit, quod sui moderaminis harmoniam, malè temperato cerebro, tueri non valet. Atq; hoc satis esse existimamus ad evincendum, quòd fœdus, sive affinitas mutua inter Corpus & Animum, tam inseparabilis non sit, quin & Animus suum sibi suprematum, durante hoc fœdere, retineat, atque etiam eodem per mortem dissoluto, suum *Esse* perennet.

Quinetiam, si nobis ultro institerit Adversarius, ut illi dilucidemus, cujusmodi substantiam Animam esse judicamus, ingenuè confitebimur nos non intelligere. Neque enim istius ignorantiæ nos pudet, quum ejus cognitio non à Ratione, sive Philosophiâ, sed à *Divina Revelatione* sit petenda. Nam dato, Animæ substantiam, in creatione suâ, à Materie sive Elementis haud deductam, aut extractam fuisse, prout ex transcendentia, functionibus, operationibúsq; ejus constat; pro certo sequitur, leges Materiæ, sive Elementorum, ejus naturam nulla ratione posse complecti, aut ad ejus Substantiæ cognitionem ducere; atque adeo Philosophiâ

Ob-

Objectis Propriis relictâ, ab eodem Numine, à quo Subſtantia ejus ab origine profluxit, eam expectare debemus. Sed quum raræ exiſtant Inſpirationes Divinæ, præſtabit nobis ſubtilias & Metaphyſica noſtra ſcrutinia ad mortem uſque differre, quæ & his & cæteris omnibus id genus difficultatibus maturam imponet finem. Interim veniam precamur, quòd in Speculationem tam gravem, & tam à noſtra narratione alienam (quam tamen jure vitare nobis non erat integrum) digreſſi ſumus, animúmq; tuum à legendo avocavimus, dum pietas tua de recuperatâ Matronæ ſalute, impatienter certior fieri cupit. Ut igitur ad eam redeamus, majore ipſe ſanè quàm miles, quum primùm eam conſpexit, admiratione atque ſtupore me ſentio correptum. Videor enim quædam ſymptomata in ea cernere, quæ non tantum animi mutationem, ſed & totius corporis ejus habitus Metamorphoſin indicant, idq; tam mirum in modum, ut, niſi cultus ejus luctuoſi retentio (velum tamen objecit) ſimul cum temporis & loci argumentis mihi fidem

fidem in diverſum confirmaret, ægrè proſectò ipſam eandem eſſe crederem. Quippe lugentis viduæ perſonam tam planè exuiſſe videtur, ut ſi mihi, quod Phyſiognomiæ peritis, exterioribus lineamentis liceret divinare, eam Nuptam lætiſſimam, feliciſſimámq; eſſe arbitrarer. Nam frons ei non modò ſerenata, ſed in gratiorem etiam amplitudinem dilatata, delicato & purpureo rubore ſuperfuſo reſplendet: Oculi, licèt paulo pluſquam ſemi-aperti, fulgore corruſcantes, gratioſis albuginibus nonnihil ſurſum replicatis, motitantes, udore rubicundo madentes, & languido ſubinde, obliquóq; intuitu (quales in moribundis duntaxat, & amantibus ex deliciarum extaſi raptis, videri ſolent) furtim in militem convertuntur: Labia, muriceâ tinctúrâ placidè turgida, benignéq; tremula, oris tamen decorem, ſuavitatémq; retinent: Genæ placidis ruboribus inundatæ: Caput leviter deflexum, ut quum Verecundiæ cum Cupidine arcanum eſt litigium: Quippe molli agitatur ſolicitudine, quali animus laborare ſolet, dum objectum, in

quo

quo ſummum ſuum bonum collocavit, æger anxiúſq, perſequitur. Modicus & *Balſamicus ſudor* è niveæ cuticulæ meatibus exſtillans, blandum ei calorem, ex ingenti Spirituum internorum agitatione, eorúmq; in partes externas, ſimul cum puriſſimi ejus ſanguinis vaporibus, effuſione, haud dubiè ſuccenſum, adauget. Confluxum denique omnium indiciorum, quæ naturalia arctiſſimáq; ingentis gaudii atque voluptatis ſunt ſymbola, in ea perſpicio. Quid igitur mihi ſentiendum eſt? Quippe vel cogitare hanc egregiæ conſtantiæ Matronam, pudicitiæ, ipſâ Pudicitiæ Deâ, religioſiorem, ſeverioremq; cuſtodem; doloris (vel vobis teſtibus) propemodum immenſi invictíq; patientem, cujus lacrymæ vix dum exaruerunt, in humido horridóq; Oſſiario, idq; nocte intempeſtâ, *Chariſſimi ſui Totius* arcæ aſſidentem: Vel ſemel (inquam) cogitare, hanc laſcivis novi Amatoris deliciis, idq; tam ſibi ignoti, tamq; infra ſuam ſortem hominis tam cito immergi poſſe, non ſolum profectò cum veriſimilitudine acerrimè pugnat,

pugnat, sed in contumeliam nunquam expiandam cedit; & quisquis vel unam cogitatiunculam, quâ tanta infamiæ macula ejus Sexui inureretur, expromere auderet, ægrè proculdubio seipsum tueretur, quo minus ab ejus Comparibus discerperetur.

Ab altera verò parte, validæ patent suspicionis causæ: Nam, si verum est (& verum est certè) non satis Naturæ visum esse, quod homini linguam, quâ mentem explicaret, tribuisset, nisi altissimorum affectuum, consiliorúmq; ejus imagines vultui impressisset, & Philosophos hoc fundamento nixos, illam inter Artes præstantissimam *Cognoscendi hominem* (primariam Civilis Prudentiæ partem) condidisse, quæ docet in abstrusissimos animi recessus, conceptúsq; occultissimos penetrare, *figuras, characteréſq;* quos interni ejus motus in frontem, oculos, aliásq; faciei partes educunt, contemplando; Si hoc (inquam) verum est, juremerito nobis licet suspicari, Matronam nostram jaculo Amoris inevitabili recèns vulneratam esse, jamq; æquè fervidis militis amplexus concupere

pere flammis, ac nuper mœroris glacie frigida defleverat maritum. Quippe vultus gestúsq; eam produnt, necnon omnia summæ jucunditatis ac festivitatis indicia in faciem ejus effusa haud sinunt me diutiùs ambigere, quin jamjam deguſtârit, imò pluſquam deguſtârit, eam ipſam voluptatem, quam Amantes, dum ipſos mutui amoris carpunt fructus, perſentiunt; quæq; in ſeipſâ, tanquam *Extaſis*, ita deſcribi non poteſt, niſi ſentientibus, nec quidem ipſis niſi dum ſentiunt, ut intelligatur.

Neque eſt quod diutiùs pendeas animi: Ecce enim, in militis brachia ruit, amplexatur, diſſuaviatut, idq; tanto impetu atque aviditate, ac ſi nudo labiorum ejus tactu ſibi ſatisfacere non poſſit, niſi ſuorum veſtigia iis relinquat infixa; imò & aperto ore ejus baſia excipit, quaſi hujus geſtus incuria magis ex natura ad affectus ſui impetum effundendum conducat; aut quaſi ipſa, ad illam animam hauriendam, quam ſibi ab eo optat inſpirandam, ſit accommodatior. Nec quidquam eam adducit, ut os ſuum ab ejus ore avellat, niſi impatientia,

tientia, ne oculi ſui tamdiu careant ejus formæ imaginibns: Utq; hunc ſenſum, datis acceptíſq; nonnullis obtutibus amatoriis, (nunc enim haud ampliùs obliqui ſunt trajectus) epulata eſt, extemplo oſculorum convivium repetit, ac ſi contuendi voluptates, quantumvis Amantibus jucundæ, tangendi voluptatibus eſſent inferiores; aut quaſi voluptates, quibus horum eximiorum ſenſuum alteruter in iſtiuſmodi occaſionibus animum afficit, tantam vimhabeant, ut unâ operâ utrique indulgere nequeat, quin modo huic, modo illi ſe applicet, ne inter utrumque diſtracta, vel tantillum ejus rei amittat, quam ex affectu ſuo intelligit ſibi eſſe neceſſariam, ut ad optatum gaudium perveniat conſummandum.

Ut uno verbo abſolvam, (quippe in id genus materiam incidimus, ut prolixum ſermonem non admittat) nihil eſt licentiæ, nihil blanditiarum, nihil lenociniorum, nihil illecebrarum, quod laſciva hæc Domina non adhibet, quo novo Amatori ſe gratam volupémq; reddere, ac recentes in eo flammas viciſſim

cissim excitare possit: adeo ut, si quam conspicimus, non ipsa sit *Venus*, cum dilecto suo *Marte* luxurians; haud dubiè tamen est una ex ejus natabus, cum uno è *Martis* natis, in summis deliciis copulata. Hîc verò, in hoc lepidum par, terga nos vertere jubet verecundia. Video enim militem totam Rem suam Militarem nondum profudisse; sed & lascivarum mulieris illecebrarum fascinis majorem in modum percitum, ad secundum congressum seipsum accinxisse, atque adeo ad actionem istam perpetrandam, quam, etsi omnium aliarum actionum jucundissimam, dulcissimámq; vel nominare salvo pudore, multo magis oculis usurpare nos dedecet, paratum. Neque enim te meq; latet, quàm implacabiliter *Dea Cypria* indignari solet impudicis istis curiosis, qui in Sacrificiorum suorum mysteria, quæ ipsa in tenebris, & à comparibus unà offerri voluit, speculari audent. Opportunè igitur oculos etiamnum insontes avertamus, hosq; ejus Votarios recenter initiatos, *Cythereos*, quos auspicaturi sunt, Ritus, quietè absolvere sinamus; præ-

sertim

ſertim quum zelus eorum tantopere ferveat, ut vel ipſam mariti arcam, in quam accendant & exhalent, quod ſecum attulerunt thus, aram facere, nihil habeant penſi; atque dum tacitarum ſuarum ſatagunt devotionum, Rationis Oraculum adeamus, & hujuſce grandis & mirificæ in noſtra Matrona Metamorphoſeos, quæ jam (ut vides) Lugens & Vidua deſiit eſſe, potentem conſulamus cauſam.

Metamorphoſin hanc ſubitam atque prodigioſam innatæ muliebris ingenii levitati atque mutabilitati imputare, quamvis nonnihil Philoſophiæ, multum tamen Sapientiæ habere nequit, quum plus diſputationis quàm ſalutis ſecum afferat. Quippe, licèt probè notum ſit, quod temperamenti earum facilitas atque teneritudo ejuſmodi eſt, ut eas, inſtar ceræ, quarumcunque figurarum reddat capaces; & maximè earum, quæ cum affectibus, quibus veluti innatis ſtimulis, ad illum, cui à Naturâ prædeſtinatæ ſunt, adigantur finem, congruunt; quis tamen tam temerè vitæ ſuæ prodigus eſt, ut vindicativo iſti

ſexui

sexui ultro bilem moveat, illam nimirum in amore, quam quæque mulier tantopere jactat, ac vel sanguine suo tueri gestit, constantiam, cujus dies singuli tot insignia proferunt exempla, in dubium revocando? Quod meâ refert, sanè, quanquam nunquam mihi contigit tanta beatitudo, ut gratiâ apud Dominas magnopere pollerem; honos tamen quo illas prosequor, non permittit ut earum velim malevolentiam, præsertim tam contumelioſam hæresin asserendo; nec quampiam occasionem prætermittam, qua illis ostendam, obsequia, quæ iis præstare cupio, ejusmodi esse, ut vel firmissimis earum affectibus, altissimisq; meritis ex amussi respondeant; nec ullum attributum, suis ipsæ meritis, opinione suâ nitentes, (quam omnes satis propitiam sibi esse fatentur) vendicant, quod illis non lubens indulgeam; neque in earum dictis aut veritatem aut gravitatem quærere sustineo, quin cultum fidémq; illis, tanquam Oraculis, adhibeam. Nequeunt aures meæ prius imbibere quam fides mea tanquam Sacramenta, & intemeranda

meranda Religionis vincula, earum promissa deglutit. Siquam audio vel solùm dicentem (licèt nullis confirmandi conceptis verbis) se aut fuisse, aut futuram *Amasio* suo fidam atque constantem; è vestigio credo, imò & jurare audeo, Cœlos ipsos à suo fundamento ruituros, Naturam cursum & leges suas mutaturam, ac in primi sui Chaos confusionem relapsuram, quàm hanc ab Objecto, in quo fixit amorem suum, recessuram. Siqua vidua in mariti funere suspirat & plorat, sinceri altíq; doloris ejus misereor; ne in desperationem rapiatur, sibíq; mortem conscisçat, vereor; denique ut maritus ejus priùs reviviscat, quàm illa de repetendo conjugio vel semel cogitet, expecto.

Siquem quid triste de teneræ cujusvis Virgunculæ Amoribus inauspicatis exaudio narrantem, nequeo profectò temperare, quin pectus feriam, exclamémq; Ah! quam dolendum est, tam pulchrum flosculum, toti humano generi, quia nulla quæ carpat in promptu est manus, exarere atque perire? Illa enim misel-

la, haud dubiè reliquum calamitosæ vitæ solitudini ac fidelitati devovens, nunquam adducetur ut Hymenæum colat; imò verò illibata vivet & morietur, atque spes ejus integra in contemplatione honorum, qui iis, quæ Amantibus vitâ functis, inviolatam servârunt fidem, in *Elyzio* reponuntur, perpetuo versabitur: nec *Sera iste Veneta*, vel dimidio tam firmo possent esse pudicitiæ ejus præsidio, quàm votorum, quæ, cui cor suum olim sacraverat, præstitit recordatio. Insuper, dum ingeniosos elegantésq; illos Scriptores, qui in fœminarum gloriâ illustrandâ, in heroinarum frontesteriis erigendis, & in earum constantiæ, Amorum Conjugalium, aliarúmq; virtutum exemplis colligendis, calamos suos exercitârunt, evolvo, oh! quantâ delectatione capi, & quantâ iltius honoris, dignationísq; quam inde sibi acquisiverunt hi Authores, æmulatione incendi me sentio? Et si sidera mea tam propitia, tamq; benigna mihi nascenti effulsissent, ut mihi portionem ingenii competentem infudissent, non aliud profectò argumentum tam in se dignum,

dignum, aut tam genio meo conſentaneum, quàm *Matronarum Encomion*, exiſtimaſſem : atque adeo tibi amico non confiteor invitus, mihi olim aliquando in mentem veniſſe, *de Uxorum, Amicarúmq; conſtantium vitis hiſtoriolam contexere*; nec aliud quidvis mihi obſtitit, quo minus inceptum opus perſecutus ſim, quàm quod infinita earum multitudine abſterrerer. Prævidebam enim totum vitæ meæ curriculum, ut omnes enumerarẽ, multo minus ut debitas unicuiq; tribuerem laudes, haud ſuffecturũ. Adeo ut facilè perſpicere poſſis, quàm æternas ſuſceperim inimicitias, cum quavis opinione, quæ videatur ab honore *Immutabilitatis* iſtius delicati dulciſq; ſexus detrahere, quem Naturæ benevolentia, in noſtrum juvamen, oblectamentum, ſolatiúmq; condidit, & ſine cujus auxilio, egregiam illam actionem, quæ *noſtri Eſſe* perfectionis eſt teſtis, & quæ, morte nequicquam renitente, nos reddit immortales, ac ad quandam Divinæ rerum omnium originis ſimilitudinem refert, præſtare deſineremus. Aliam igitur cauſam (præter

muliebris ingenii levitatem) quâ *Matrona noſtræ* ſorti proſpiciamus, diſquiramus.

Vi vini ei à milite dati eam tribuere, eſſet *Magnum* ac *Primum Agens* præterire, & in eo, quod ad ſummum, non erat niſi acceſſorium, hærere; totam Portenti molem, ubi leviſſimæ ejus particulæ vix datur locus, ponere. Quippe, quoad quantitatem quam bibit, licèt ad ſpiritus ejus redintegrandos, calorem vitalem refocillandum, & penè concreti ejus ſanguinis motum excitandum ſuffecerit; minor tamen erat, quàm ut cerebrum ejus vitiaret, eámq; ad faſtigium cupiditatum tam incongruarum, tamq; frigido corporis habitui, humiliſq; animi ejus ſtatui repugnantium, inflammaret. Et, ſi qualitatem expendimus; licèt bonum vinum *Lac Veneris* ſit, nec minùs ſubtiliter ac potenter, quàm *Nutrix*, ſive *Obſtetrix*, *Nox*, *Opportunitas*, imò verò *Aurum ipſum*, pudicitiæ inſidietur, (quæ fortè una ex cauſis eſt cur *Oenopolium Rhenanum*, & * *Area Chalybea*

* *Locus ad Thameſis ripam Londini, ubi vinum Rhenanum væuit optimum.*

tanto-

tantopere frequentantur) rarò tamen hunc effectum operatur, niſi in corporibus, quæ ut generoſum, ſublimémq; ejus influxum admittant, cum eóq; cohæreant, præparantur. Nam, ut cuncta *Agentia Naturalia* vim ac energiam ſuam, capacitate *Patientium* in quæ operantur, habent limitatam; ſic in particulari, vinum non tam univerſaliter calidos & amatorios infundit affectus, quin in temperamenti frigidi corporibus, animíſq; pudicitiæ tenacibus, nonnunquam repellantur ac ſupprimantur: atque adeo dum calefacit, & ad blanditias Venereas irritat, nihil aliud quàm ſcintillas aliquas adſtruit igni iſti interno, qui quantacunque vafritie, pudoris externi cineribus involutus, tantopere ſuburebat antea, ut parum abfuerit, quin in ſævientes erupiſſet flammas. Adeo ut Matrona noſtra, ultra temperantiæ atque ſobrietatis terminos non progreſſa, & diuturnâ inediâ, mœrore, algoréq; (quæ omnia vehementiſſimè *Veneri* adverſantur) tantopere debilitata, ut nefas ſit credere, ei multum fomitis (quod vini ſpiritibus, quum fervi-

dum, de quo agimus, parit appetitum, incendi ſolet) in venis fuiſſe reliquum; non competit rationi, facilitatem ejus aggravare, in innoxia ejus refrigerii atque revaleſcentiæ media eam transferendo.

Ad quid igitur referri poteſt hic caſus tantâ admiratione dignus? Me judice, profectò ad nihil aliud cum tanto favore ac veriſimilitudine, quàm ad tot prodigiorum authorem *Amorem*. Quanquam enim myſterioſam hujuſce affectus naturam, cui omnes ſubſunt mortales, & quæ nemini innoteſcit, enucleare non aggrediar, eam ratus æquè ſcitè ab eo definitam qui dixit, *Eſt neſcio quid, quod neſcio unde intravit, & neſcio quomodo abivit*: ac à *Socrate*, qui *Cupidinem Formæ* eam vocavit: vel ab ipſo *Divo Thomâ*, qui *Appetitûs complacentiam in re amabili* eam eſſe affirmavit. Attamen hoc ego charâ experientiâ didici, affectum eſſe imperioſum, qui ut primum animi confinia occupavit, fit Tyrannus, Facultates conculcat, Rationis leges atque regimen ſubvertit, omniáq; & ſapientiæ & verecundiæ propugnacula

pugnacula ſibi obſiſtentia diruit. Genus eſt quoddam Magiæ, cui ut repugnemus, nulla nobis datur à Natura poteſtas; nam mentibus noſtris furtim ſeipſam inſinuando, larvati hoſtis inſtar, omnes ejus vires ex improviſo corripit, opprimítque, ac veneno ſubtili ſimilis, dum victoria ſecura ſit, introitum ſuum non detegit. Bellum indicit, ſimúlq; triumphat. Palpo ſecreto nobis inſidiatur, atque in exitium agit præcipites; quod eo difficiliùs cavemus, quia admittimus cum delectatione atque permittimus, & venenoſarum *Calabriæ* aranearum more, nos titillando ad ſaltandum ciet, & interimit. Dum dulce & harmonioſum eam credimus eſſe carmen, in magnos ac periculoſos nos illicit tumultus. Prudentiæ præcautionem faſtidit, ac luctûs præoccupationem ſpernit. Quo fortiùs repellitur, eo redit violentior: conſiliis ferocit, periculis ac difficultatibus, tanquam infuſâ igni fatuo aquâ, ejus incendium gliſcit; inhibitione laceſſitur. Amore capti, cupiditates noſtras, niſi impetuoſæ ſint, ignobiles, & niſi temerariæ, ignavas

eſſe ducimus. Maximi, ſapientiſſimi, contumaciſſimíq; animi vim ejus perſenſere; nec ipſa Ambitio (qui omnium affectuum princeps habetur, ac dominus) de ſummo in Mentem imperio cum eo certamen inire valet. Sapientiæ Exemplum reſpice *Solomonem*, qui cuncta divina ſua præcepta depoſuit, & Amoris delirio factus præda, *Pharaonis* filiam deperiit; necnon *Appium Claudium Decemv. Rom. Legiſlatorum, virúmq; cum primis auſterum*, qui tamen ad quendam amentiæ gradum amore rapiebatur. Ambitionis documentum habemus *Marc. Antonium, magni Imperii participem*, qui in potentiæ magnitudinſſq; ſuæ faſtigio, *Cleopatræ* formæ vim tantam eſſe ſenſit, ut ejus vinculis captivum ſe ultro dederet. *Contumaciæ* ſpecimen ſit memorabilis hæc *Laidis* confeſſio; nimirum, plus ſe habere *Philoſophorum*, idq; *Stoicorum*, qui conſuetudinem ſuam ambiebant, quam alius cujuſvis ſortis hominum. Sed quid nobis his exemplis opus, ut Amoris tyrannidem vel in animos heroicos habeamus compertam, quum ex eorum frequentiâ nata ſit mortalibus

talibus occasio *Amorem Affectum heroicum* nuncupandi, & quum veteres Poetæ, Amorum *Jovis*, cæterorúmq; Numinum figmentis nihil aliud innuerint, quàm hoc, *quòd Amor viros inter mortales prudentissimos imperio suo subigit?* Hoc quum ita sit, quid mirum, si nostra Matrona, infirma ac delicata fœmina, ab *Alato Jaculatore*, (cujus jaculis hæc ineſt vis, ut doloris ulceribus momento medeantur) impetita, necnon ad penetralia usque confixa, mox se Captivam, inter tot milliones currum ejus triumphantem sequentes, ducendam dederit? Adeo ut, si novus hic affectus ejus vitium sit, ejusmodi profectò est, ut ab illà vitari non potuerit, ideóq; ab omnibus, qui flammarum arcanarum intelligunt vim, quam illam sensisse fas nobis est credere, facilè veniam impetrabit.

Nec vitio ei vertere debes, quòd illud quod omnes mulieres obsequium, citiùs aut seriùs, hujusmodi cupiditatum Inspiratori pendere coguntur, tam citò persolverit; quum argumentorum pondus atque instantiam, necnon irritamen-

torum efficaciam, ab audenti milite, quo eam ad rem expediendam alliceret adhibitorum, ignores; & quum sapientissimæ quæque mulieres, eos inter Procos fortissimos, suâq; gratiâ habeant dignissimos, qui ad eam conciliandam sunt promptissimi. Non me fugit, genus quoddam Hæreticorum in Amore existere, qui voluptates levi negotio paratas nihili faciunt; & infra fortitudinem suam ducunt Munimentum expugnare, cujus Portæ primo impetu patent; quasi verò deliciæ eo essent gratiores atque jucundiores, quo majore difficultate ac tædio parantur. At Matrona nostra ex hisce non erat. Illa enim plus pollebat sapientiâ, & animi virilitate, quàm ut prolixæ procationis ambagibus immoraretur; nam modum demerendi à cunctatione pendere non arbitrabatur. Imò imbecillitatis propriæ, & aggressoris sui roboris gnara, quo maturiùs se dederet, eo meliùs se rebus suis consulturam putabat. Porro, Fortuna commodam ei præbuerat opportunitatem, quam quidem negligere eam non patiebatur prudentia. Quippe

plurima

plurima extiterunt facinora, in quibus ipsum tempus maximi ponderis fuit; imò & quædam incidunt fortunata ac critica momenta, quibus multa fiunt quæ postea nunquam fieri possunt. Cur igitur summæ levitatis argueretur hæc fœmina, solummodo quod occasionis antias arripuerit, & primo congressu occupaverit, quod aliàs fortasse amisisset? Quum tu esuris, & bonæ dapes tibi apponuntur, num hospitem tibi judicabis amicum, si fortè tædiosis ambagibus, & longis importunisq; fabulis, dum cibi frigescunt & insipiscunt, ab edendo te distrinxerit? Quæ ratio est ergo, quod tantum in muliebrem modestiam judicetur piaculum, si Matrona nostra indulserit appetitui æquè naturali (& crebrò moræ impatientiori) ac fami, simulac fortuna ei ansam obtulerat? Enimvero, si penes me est arbitrium (cæteris licet quod lubet censere) quanquam factum ejus non probo, ideo tamen sequius esse, quia tam cito factum est, non judico.

Atqui facinoris hujusce mulieris turpitudinem me nimis ambitioso & amico

phrasis cultu exornasse, fortassis existimabis, dum Amorem, nobilem illum & heroicum affectum, ejus lapsus tam facilis constituo causam, quæ nihil revera erat aliud, quàm singularis & proprius appetitus carnalis, sive abjectæ & irrefrænatæ libidinis effectus.

Ad hoc igitur respondeo, quod ratione istius inter Amorem ac Libidinem scrupulosi discriminis ab adulatione concepti habitâ, ac si alter genuinus animi fœtus duntaxat esset, altera verò spuria corporis superfœtatio, quæ in sororis suæ societatem nunquam irrupit, quin virgineam ac immaculatam ejus naturam violaverit, atque dehonestaverit; æqui tamen arbitri, qui in istius, inter diversi sexus corpora, Conjunctionis appetitus causam, atque originem satis altè penetrârunt, sive in alternum Maris & Fœminæ studium, quod generatim intelligitur esse Amor, (haud enim *amicitiæ* seu *benevolentiæ* res nunc agitur) diligenter indagârunt, non facilè adducentur ut credant, ullum intersesse tam magnum discrimen, sive disparitatem, quin ab uno eodémq; prin-

principio proficiſcantur; multo minus quod ulla ratione disjungantur. Hoc, opinor, ſubacerbum erit puris & delicatulis *Sectæ Platonicæ* diſcipulis, qui, carnis & ſanguinis merita ſpernentes, & Animi pulchritudines admirari præ ſe ferentes, blanditias ſuas omnes contemplationi devovent, ut amabiles virtutis *Ideas* deperire videantur; nec ipſis profectò Matronis (quæ ex puriori, haud dubiè, ac minus ſulphureo, quàm cæteri mortales, conflantur luto) cordi erit audire, dulces & almas ſuas flammas craſſorum fuligineorúmq; mixturâ vaporum, quales à corporis ardoribus exſurgunt, aſpergi. Itaque veritas ipſa (quam cæteris utilitatibus antepono) me cogit hanc meam ſententiam aſſerere atque prædicare; quæ quamvis Paradoxum ſit, maximè tamen cum ratione cohæret. Quod utì præſtare poſſim, liceat mihi, cum bonâ tuâ veniâ, exiguam Amoris imaguncu-lam tibi dono donare, non ab aliorum commentis effictam, ſed ab ipſa Naturæ origine ad vivum depictam, & (niſi plurimùm fallor) tot ſpecies germanas

manas referentem, ut quiſquis illam contemplaturus ſit, tanti eam faciat, ut non dubitem, quin haud prorſus indignam ſentiat, quæ in mentis ſuæ gynecæo aſſervanda reponatur.

De

De AMORE
in genere.

OMnibus compertum est atque manifestum, proprium omnium appetituum objectum esse *Bonum*, seu *Reale*, sive *Apparens*; ac ratio est, quia objectum, in quo hoc *Bonum* perspicitur, aut animo concipitur, ad ejus rei perfectionem, cujus appetitus est, aut quæ appetit, conducit. Nam appetitus, sive cupiditas in *Appetenti*, semper præsupponit opus, sive indigentiam *Appetiti*; & quicquid opus habet, perfectum esse, nisi, quod opus habet, accepto, non potest. Adeo ut Congruentia, Utilitas, sive Bonitas, quæ est inter naturam rei deficientis sive desideratæ, & perfectionem requisitam in naturâ rei indigentis sive desiderantis, sit causa cur hæc res appetitur, aut amatur, ac pariter fundamentum istius voluptatis sive delectationis, quæ in hujus rei possessione sive fruitione percipitur.

pitur. Atque hoc certè est omnium, quæ in rerum naturâ extant, affectuum, necnon amoris, quo capimur, in quicquid aut verè aut ſpecioſè nobis bonum eſt, Principium. Nobis bonum inquam, quoniam nihil eſt in orbe terrarum, quod abſolutè bonum ſit; neque quidquam judicamus eſſe, niſi cum reſpectu ad noſmetipſos.

Jam verò quum congruitas in Objecto cum naturâ Appetentis ſit cauſa, cur appetitus ad illud particulatim determinatur, ut quod ad ejus perfectionem conducit, (quod ſolùm in ejus poteſtate ad agendum promovendâ conſiſtit) ac pariter iſtius voluptatis, quæ ejus acquiſitionem comitatur; negari non poteſt, quin Appetitus comitetur, ſeu potiùs ducatur, à quadam Facultate cognoſcendi, ſive dignoſcendi illam ipſam congruitatem, ubicunq; inter Objecta ſibi habeat obviam, eadémq; ad hanc dirigat Appetitū; quandoquidem, quod non cognoſcitur eſſe congruum, non poteſt appeti. Et quando motus iſti interni, quos *Amorem* atque *Voluptatem* appellamus, nihil aliud ſunt, quàm

quàm iſtarum conceptionum reflexus, quæ in Imaginatione atque Intellectu formantur, poſtquam Appetitus bonitate, ſive convenientiâ rei ſibi propoſitæ excitatur; neceſſe eſt igitur, ut quid conveniat, quid non conveniat, ſciendi ſit Facultas. Porro, quum ſcire rem quampiam, ſit ejuſdem conceptionem ſive notionem habere ejus naturæ reſpondentem, quæ ſolummodo Qualitatibus ac Proprietatibus ſuis ſeipſam declarat atque manifeſtat; iſtæ Qualitates ac Proprietates ſigna ſunt & indicia, quibus *Facultas cognoſcendi* poteſt de ejus rei Bonitate ſive Malignitate judicare; atq; adeo an amplectenda ſive rejicienda ſit, Appetitui repræſentare. Atque hæc, quum ſit cauſa cur Natura cuncta animalia Senſibus, hominem verò & Senſibus & Ratione inſtruxerit, quibus ſigna vel indicia Congruitatis in Objectis percipiantur; & ſic natura rei in quâ apparent, innoteſcat Facultati, cujus officium eſt de iis judicare: ſic etiam eſt, quod quicquid Senſus (ſignorum *boni maliq;* obſervatores) Imaginationi repræſentant, (quæ conceptiones

nes juxta format) tanquam *Bonum, Utile, Pulchrum*, pro *Bono, Pulchro*, ſive *Formoſo* habetur, ac dein ab Appetitu deſideratur, vel ambitur.

Hoc conſiderato, regula ex pura conſequentia docet, quod ratio cur Forma Corporea tantopere delectat Senſus, animúmq; incantat, eſt tantùm quia eſt ſignum ſive indicium iſtius internæ poteſtatis ſive congruitatis, quæ ineſt ſubjecto cui adhæret, & quâ appetitui noſtro opus eſt, ut ad iſtius perfectionis acquiſitionem, quæ ejus naturæ requiritur, pervenire poſſit. Adeo ut, hoc in ſenſu, non magnopere nobis culpanda ſit ejus *Formæ* definitio, qui illam *Bonitatis ſplendorem* nuncupavit; nec minùs alterius amoris condemnare, qui illum *Inopiam* ſive *Indigentiam* vocavit. Atque hoc ſatis eſſe, *ad Amoris naturam in genere adumbrandam*, exiſtimamus.

De AMORE
inter Marem & Fœminam.

ITaque, ut propiùs ad Argumentum noſtrum accedamus, monendus es, quòd omnes Potentiæ ſive Facultates, quæ ſimul cum ſingulis ſuis Appetitibus naturam Humanam perficiunt, ad alteram ex his duobus finibus in eam collatæ ſunt; nimirum ad Conſervationem & Felicitatem ejus, in Propriâ ac Individuâ Perſonâ, aut ad Conſervationem ejus *in Specie*, ſive *in ſuo Genere*. Quæ ad ejus Felicitatem ac Conſervationem in Propriâ Perſonâ conferunt, ſunt *Intellectus ſive Ratiocinatio, Imaginatio, Memoria, Motus Voluntarius, Vita, & Nutritio*: & quæ eam in ſua ſpecie conſervat, eſt Generationis ſive Procreationis Facultas, quâ ſibi gignit ſimilem.

Hæc verò *Facultas Generativa* (nam reliquæ ad præſens noſtrum thema non pertinent) nec totaliter in Mari, nec totaliter

totaliter in Fœminâ, ſed inter utrumq; diviſa, quum *Pars Activa* ſit Maris, *Paſſiva* autem Fœminæ, conſiſtit; adeo ut quum utriuſque ſexus conjunctio ad hujus Facultatis perfectionem, quæ in actuali *Similis* productione conſiſtit, ſit neceſſaria; dubitandum non eſt, quin Appetitus, qui ad hanc Facultatem pertinet, & quo Mas & Fœmina concitantur, & quaſi compelluntur ad Generationis actum, ad quem hæc Facultas tendit, certâ bonitatis aut congruitatis in Objecto, in quod ad perfectionem ſuam acquirendam operari debet, cognitione comitetur. Et quum hæc bonitas ſive congruitas non aliter, niſi ex ſignis ac indiciis externis in Mari & in Fœminâ apparentibus, pernoſci queat, non priùs Senſibus & Imaginationi innoteſcit, quàm Appetitus huic cognitioni comes, excitatur, & ad hoc Objectum, in quo hæc congruitas eminet, diligendum atque proſequendum adhibetur. Verùm ut lucidiùs dicam; quum bonitas ſive aptitudo ad Generationem in Mari, nil aliud ſit quàm æqua ejus conſtitutio, in cunctis illis organis

ſive

ſive Inſtrumentis, quæ Natura ad id officium ab ejus parte ordinavit; viciſſim & aptitudo in Fœmina, conſtitutio inſtrumentorum ad Paſſivam illam Facultatem exequendam à Natura ab ejus parte conditorum; ac ſigna, quibus hæc aptitudo pateſcit, ſpecies, & forma corporis, cunctarúmq; ejus partium alterutri ſexui peculiarium; hinc inevitabiliter ſequitur, Formam Maſculam duntaxat eſſe bonæ conſtitutionis, ad Facultatem activam in Generatione, indicium, quemadmodum eſt *Forma Fœminea* Paſſivæ; atque adeo cupiditatem, ſive Appetitum, qui ab iſtorum indiciorum detectione exoritur, ac Marem aut Fœminam ad Conjunctionis actum, ut officio ad *Facultatem Generativam* ſpectante fungantur, ſolicitat, eum eſſe affectum, quem *Diverſi ſexus Amorem* appellamus. Illa enim cupiditas, quæ ad finem ducit, à cognitione aptitudinis mediorum ad eum tendentium, neceſſe eſt, introducatur; & quum hæc aptitudo in debitâ omnium partium organorúmq; ad eum finem attingendum ſpectantium, conſtitutione con-

consistat, ac seipsam, extrinsecâ corporis pulchritudine, alterutri sexui propriâ indicet, negari non potest, quin aptitudo unicum sit Appetitûs incitamentum, ac pariter cupiditas ex hujus aptitudinis cognitione proficiscens, sit *Amor*, ac *unicus Amor*, qui inter Marem & Fœminam, quatenus Marem & Fœminam, enasci potest.

De AMORE
Determinato.

JAm verò, præter hunc Diversi Sexûs Amorem in genere, qui nihil aliud est, quàm *Appetitus Procreationis indefinitus*; alius est adhuc Amor, in quo idem Appetitus, licèt Sexus diversitatis habeat rationem, ad unum tamen Objectum seorsim determinatur; & qui hoc affectu tenentur, propriè dicuntur *amare*. Nunc igitur non de Amore inter Marem & Fœminam in genere, sed de hoc singulari sive determinato agitur; quum hic sit ille Amor, quem Matronæ indigitare videntur, ubi Amorem à Libidine distinguunt.

De hoc *Amore Personali* igitur, dico, quòd, quum sine Sexûs diversitate existere non potest, ac æquo (si non majori) impetu ad eundem, ad quem *Generalis* sive *Indefinitus Amor* tendit finem, (actum putà Procreationis) atq; itidem in utráq; ratione istius voluptatis sensualis

alis, qui Amorem indifferentem comitatur, fit particeps; consequitur, *quòd Amor Sexûs, ac Amor cujusvis unius ejusdem Sexûs, non nisi unum eundémq; in natura conficiunt affectum.* Nec alia profectò est causa, quâ hic Amor, ut æqualitatem suam omnibus istius diversi Sexûs exuat, & in unam quamlibet personam se conferat, adduci potest, quàm hæc, quòd Persona Amans (seu potiùs quæ amat) indicia sive signa Facultatis Generativæ magìs in Amata, quàm in aliâ quavis ejusdem Sexûs Personâ, conspicua esse rata, exinde sibi imaginatur, quod hâc ipsâ frui (id est, eidem actioni, quâ opus est ad speciem continuandam, cum hac operam dare) meliùs ad Appetitûs Generationis satisfactionem, quàm cum aliâ quavis, conducet. Adeo ut hæc Opinio sive Imaginatio in Amanti, ratio sit cur Persona Amata ambitur, ac eo studio atque ardore, quo semper exagitantur ac perturbantur Amantes, concupiscitur.

Atque hinc fit, quòd Decori & Proceri viri, & qui bono temperamento, corporibúsq; ex justâ membrorum sym-

metriâ

metriâ compositis gaudent, in magno plerumq; sunt pretio apud mulieres, & pulchræ lepidæq; fœminæ vicissim apud viros. Quippe quum certa sit in Naturâ regula, omnes Facultates internas, plus minùs perfectas esse, secundùm quod temperamentum, Partiumq; Corporis structura, ex quibus pendent, plus minùs accuratè componuntur; & quum accurata Corporis forma, cunctarúmq; ejus Partium constitutio, earundem Facultatum perfectionis sint indicia; ubi Sensus eminentiori modo indicia patefaciunt, ibi animus Facultates ipsas in æquè eminenti etiam gradu deprehendere non dubitat; ideóq; eam, cui ineſſe videntur, personam æquo ambitu atque ardore prosequitur. Exempli singularis gratiâ; quum decus ac robur corporis in viro, sint Facultatis Generativæ indicia; haud priùs hæc signa perspiciunt mulieres, quàm, quid significant rectè intelligentes, majore benevolentiâ, honore, & affectu eos, in quibus hæc enitent, quàm in quibus non enitent, aut saltem non tam conspicuè enitent, prosequuntur. Ab altera

autem parte, quum temperamenti ſuavitas, commodus ſtaturæ modus, & quicquid in hac voce *Formâ* comprehenditur, ſymbolum ſit à natura Mulieribus impreſſum, quo de Facultatis in Generatione Paſſivæ bonitate in quavis muliere judicare poſſimus; haud citiùs hoc ſymbolum virorum patet oculis, quam quid ſibi velit protinus intelligunt, ac deinde plus eas, in quibus hoc ſignum cernitur, mulieres, quàm in quibus tam ubertim non cernitur, colunt & diligunt.

Ad hujus veritatem confirmandam, præter rationes naturales hîc allegatas, experientiæ quoque habemus ſuffragium. Quippe quæ mulier unquam Spadonis, cætera quamvis formoſiſſimi, capta eſt amore? Imò, quæ mulier uſquam terrarum eſt, quæ virum, de cujus Facultatis Generativæ impotentiâ vel minimum fando audivit, clanculùm non contemnit? Ab alterâ verò parte, ecquis unquam in affectu erga mulierem perſeveravit, ubi illam, ut in Procreationis opus ſecum incumberet, in cæteris licèt inter ſexûs ſui compares for-

formosissimam, inhabilem esse comperiit? Quo considerato, sentio me leviter suspicari, paucas esse conjuges, à maritis suis non impregnatas, quæ eos vel dimidio, quem præ se ferunt, amoris prosequuntur; ac æquè paucos esse viros, qui à Conjugii sacris temerandis temperant, si de uxorum sterilitate jure conqueruntur. Quanquam enim prudentia eis suadet, ut Amoris sui furta taceant atq; abscondant, tamen nisi magnâ virtutis vi cohibeantur, prolis habendæ studium, ac virium suarum experimentum, ferè eos ut varietatem affectent, impellent.

Jam verò, quum hoc ita sit, non diutiùs paradoxum fore spero, quod *Diversi Sexûs indefinita concupiscentia* (quæ generatim *Libido* dicitur) & unius cujusvis istius Diversi Sexûs personæ appetentia, (quæ plerumq; *Amor* appellatur) unus atque idem sit *actionis procreandi* Appetitus.

Attamen, ne aut videar nescire, unde hominibus oriatur occasio verum inter hos affectus imaginandi discrimen, aut phrasim aliquam vulgarem, qua diver-

ſas ſuas proferunt ſententias, innovare; non omittam innuere, quod quum hunc Appetitum damnamus, ignominioſum ei nomen *Libidinis* indimus, quum autem comprobamus, honeſta voce *Amoris* conveſtimus; adeo ut Amor & Libido nihil aliud ſint quàm diverſa vocabula, quibus de uno eodémq; affectu diverſas exprimimus ſententias.

Neque prorſus mihi erit fraudi ſi adjunxero, Diverſi Sexûs Cupiditatem, non eâ animi delectatione, quâ hunc Amorem Perſonalem atque Determinatum, comitari; quum in illâ viri ſibiipſi, in hoc vero mulieri, quam amant, tantundem, ſi non ampliùs, quàm ſibi perplacere cupiunt; & quanto majorem Amaſiis ſuis miniſtrant voluptatem, tanto majori ſibi ſunt oblectamento. Hoc enim Senſuale Delicium non eſt, quum ea ſit animi voluptas ſive gaudium, quod in opinione, quam concipimus de poteſtate atque habilitate noſtra quâ alteri placemus, (præſertim quam amamus) conſiſtit; atque adeo effectus potiùs Charitatis (quæ eſt ſtudium juvandi alterum, quò quod deſi-

desiderat obtineat, aut quod obtinuerit gaudendi) quàm hujus inter Marem & Fœminam, de quo nunc disſero, amoris; igitúrq; non obstat, quin Amor & Libido unum idémq; sit, quemadmodum probavi.

De AMORE
Platonico.

SUpereſt tantùm, ut iſtius Amoris puritatem, quem, qui ſe à Senſualium Amatorum grege (*Platonicorum* titulo) ſejungunt, profitentur, expendamus: quod ut nullo Partium ſtudio ducti perficiamus, primùm ut in ejus originem, ac dein in iſtius opinionis veritatem, quam hi (ſpecie ſaltem) tuentur, neceſſe eſt inquiramus.

Plato, in Dialogo ſuo cui titulus, *Convivium*, (cujus argumentum *Honeſtus eſt Amor*) *Socratem*, ſapientem, gravem, atque continentem Philoſophum, introducit, *Alcibiadis*, pulchri, ingenioſiq; juvenis ſocietate ſeipſum magnoperè delectantem, eúmq; vehementi, ſed caſto amore proſequentem; nullo enim ſenſuali conſilio ducebatur; ſed ut eâ ſcientiâ, iſſq; quibus mens ſua erat gravida, & quarum *Alcibiadem* capacem

capacem esse sciebat, eum impregnaret virtutibus, & quas assiduis documentis, atque exemplo ei cupiebat infundere. Summa verò *Platonis* sententiæ, de hoc Amoris genere, hæc est: Quod vir, cujus mens sapientiâ atque virtutibus impletur, naturâ proclivis sit in aliquam pulchram, ejus ætatis ac indolis, personam disquirendam, charóq; affectu diligendam, in quâ crebris documentis, modísq; demulcendi familiaribus, gignat aut pariat eandem sapientiam & virtutes; atque adeo quod permagnam in eo capiat voluptatem, quum ejus incitamentum sit perhonestum. Et hæc vera est *Amoris Platonici* Idea.

Jam, quoad hujus opinionis veritatem, licèt honestum sit ignorantes docere, ac semina virtutis mentibus eorum infundere, qui licèt fœcundâ sint indole, ad bonos tamen fructus ea perducere hactenus nequiverunt; & quamvis alta sit animi delectatio scientiam propagare, & efficere ut aliorum sapientia à nostræ sapientiæ bonitate seipsam derivet; non mihi constat tamen, æquè validum atque naturalem sapien-

zium, ac proborum animis ineſſe affectum, ad imperitos, ac in vitia pronos conquirendos ac pelliciendos, ut iſtos etiam condoceant, ſuíq; ſimiles reddant; quia experientiâ compertum eſt, paucos doctrinâ & prudentiâ præſtantes, tam ſui communicandi liberales eſſe, ac *Plato Socratem*, ſaltem ex purâ ac ingenitâ proclivitate, fuiſſe refert; ſive qui non niſi formoſos ac juvenes ſibi ſeligunt diſcipulos, quum corporis pulchritudo non ſemper ſit bonæ indolis ad ſcientiam ac virtutem indicium; & plures in utroq; qui Corporis decore non fuerunt ornati, inſignes eminuere.

Veruntamen dato, ſententiam, quemadmodum tradit *Plato*, undequaque veram eſſe; tamen hæc proclivitas, ſive ignorantiæ vitiíq; eveliendi, ac ſapientiæ virtutíſq; in animo alterius inſerendæ ſtudium, revera nihil aliud eſt quam *Charitas*, (quæ generoſus eſt affectus, quo aliis tanquam nobis adeſſe atque prodeſſe volumus & avemus) atque adeo nil in ſe habet iſtius in Diverſum Sexum Amoris, de quo jam loquuti ſumus.

sumus. Porro, si Amor Honestus *Socratis* idem sit quod nostra *Charitas*, (ut liquidò constat) cur sodes aut Amor honestior, aut Charitas major non esset, animis eorum virtutibus, ornamentisq; perpoliendis, qui corporis gratiarum sunt expertes, dare operam; quàm hisce, qui gratias intrinsecas eo minoris æstimant, quo plus possident extrinsecarum, *quum Charitatis mensura semper sit indigentia?* Proinde, licèt *Socrates* potuerit esse *continens*, non ideo sequitur, omnes istius opinionis sequaces fuisse *continentes*, teste *Pædagogo in Petronio Arbitro*, ac multis aliis, de quibus me pudet referre. Insuper, quanquam omnes *Platonis* discipuli in hac parte *continentes* erant, eorum tamen amorem *purum* & à sensualibus rationibus undequaque immunem fuisse, non est necessarium; quia (ut Philosophus nostri seculi facilè Princeps egregiè animadvertit) *Continentes affectum quem continent, æquè, imò magis, quàm qui Appetitum suum satiant, habent.* Verùm, posità *Platonis* opinione, videamus quàm bene iste Amor, quem Platonici nostri Moderni

eâdem comprobari posse jactant, cum eâ cohæret.

Primùm nostri Platonici Diversi sunt Sexûs, quum *Socrates*, ejúsq; *Anaſius Alcibiades*, utérq; essent Mares. Secundò, nostri plerumque juvenes, & in canicularibus sive æstuantibus vitæ annis; *Socrates* autem senex, & à lascivarum cupidinum incitamentis emeritus. Tertiò nostri, ab illa sapientia, iisque, quæ ad ejusmodi præstantias in aliis procreandas postulantur virtutibus, plerumque procul absunt. Rursus, nostri, ut discant, non doceant, amare præ se ferunt: & *Platonicus* (quidem) voluptatem, quam ab altarum virtutum Ideis, quas indies in Platoniçâ comperit, contemplandis percipit, nunquàm desinit admirari atque prædicare; dum illa (prô piam Amiculam!) animi ejus ornamenta æquâ admiratione alternat; ubi revera hæc ornamenta atque virtutes tam in abditum premuntur, ut nemini, præter ipsos, in alterutro patescant. Postremò, nostri (maximè verò Fœnæ) connubio junguntur aliis, atq; adeo virtutem (si vel tantillum iis supereſt) potiùs

potiùs in maritis ſuis ac liberis, quàm in advenis & hoſpitibus, propagare deberent. Sed eheu! hi flocci penduntur, præ nobili Amatore, qui unus ſapientior ac melior fieri meretur. Complures alias commemorare poſſem diſcrepantias; ſed iſtæ tibi ſufficient, ut quam ingens ſit diſparitas, inter *Platonicum* Priſcorum Amorem, & Modernum Puritanicorum Amatorum, perſpicias; & quantâ injuriâ vel *Socratis* exemplum, vel *Platonis* autoritatem, quò ſibi patrocinentur, uſurpant. Spero igitur probos & cordatos viros haud indignè laturos, ſi audeo (ſalvâ benevolentiâ illâ nobili, quæ Amicitia dicitur) ſuſpicari, hunc affectum Platonicum nihil aliud eſſe, quàm ſpeciem honeſtam ad Appetitum Senſualem contegendum, & (reverà) iſti amori, qui Matronam noſtram *Epheſiam* militi tam facilem ac tam blandam reddidit, cognatum. Ad quem, ni fallor, nobis jam licebit redire, nullâ illi illatâ moleſtiâ, quo minùs voluptatibus, ad quas in ſinu Dominæ capiendas eum vidimus ſe accingentem, (ubi ſolatio ſuo mutuo

eos

eos reliquimus) tranquillè perfruatur.

Ecce Affectuum diversorum æstus, qui in fluxa hominis mente agitanda atque crucianda vices suas reciprocant! En Fortunæ inconstantiam, quæ jam frontem corrugat, tergúmq; obvertit ei, cui vel unâ ante horâ visa est abblandiri, & lectissimas suas gratias indulgere! vel, ecce potiùs Fatorum methodum, quæ nos tantâ Dulcis & Amari mixturâ excipit, ut nulla sit sincera voluptas; quæ (Medicorum instar) pauca habet refrigeria sine veneno, & quæ nos raro epulatur, quin nos aliquid Secundarum Dapum delibare cogat, quod nauseâ & dolore, delicioſissimos primarii bolos è vestigio nos faciat revomere. Ut enim ad militem revertamur, quem non multis abhinc momentis in tanto lætitiæ ac voluptatis statu reliquimus, ut *Cæsar* ipse, si cum conspexisset, haud potuerit, quin ejus felicitati invidisset, ac seipsum in ejus loco optasset; majorem in illo, quàm ille paulo ante in despe abunda Matrona effecerat, mutationem offendimus, acriúsq; eum videmus

mus luctantem, ut sibi ipse sit exitio, quàm nuper ut illi esset saluti. Metus, ira, furor, atque desperatio, ut illum insanum reddant, conspirant. Modò oculos rabie fulgurantes tollit, pectus ferit, capillos scindit, solum pedibus tundit, omnésq; viri in extremam dementiam repentino ac violento impetu rapti, induit gestus. Modò stat immotus, tacitus, defixísq; in terram oculis, acsi infernos manes, quid de seipso statuat, consuleret. Tum subitò perculsus, rutilantia circumvolvit lumina, caput concutit, velut cordis sui fibras diffinderet, gemit, & in breves ac malè cohærentes, sed desperatas, vociferationes erumpit. Cœlum ipsum incusat; Fatum, ut se miseriorem reddat, implorat; Fortunæ suam inconstantiam exprobrat; Siderûm malevolentiam diris proscindit, ac Numini renuntiat. Nunc seipsum negligentiæ damnat; nunc insontem mulierem, ut infaustam ærumnæ suæ causam, intuetur, ac tum in veram ac primariam calamitatis suæ originem se incidisse ratus, omnifarias pestes, diriſſimáq; mala totius Sexûs ca-

capitibus imprecatur; denique hujuſmodi maledicta in eas evomit.

Proh Fœminæ, Fœminæ! (inquit) quare vos finxit Natura, niſi perfectionis à ſe homini datæ pœnitens, vos ejuſdem minuendæ invenerit inſtrumenta? Quippe homo, qui alioquin pluſquam Semideus eſſet, ſolùm quod pravis Fœminæ illecebris eſt obnoxius, ſemihomine fit minùs. Ecquid mali ei unquam obvenit, cui mulier non interfuit? Ecquid ſceleris unquam admiſit, ad quod eum illa non pellexit? Ecquid Tragœdiæ in mundi theatro unquam exhibitum eſt, in quo mulier Perſonam non geſſit? Ecquid bellorum, ecquid devaſtationis, ecquid perniciei, quod ex iſto peſtifero ſexu non eſt exortum? Quot validæ Gentes, quot florida Regna, quot proſperæ Reſpublicæ, quot populoſæ Civitates, nobiléſq; Familiæ, mulieris ſive malitiæ, ſeu ſuperbiæ, aut libidini, ſuum debuerunt exitium? Quid eſtis Mulieres, niſi innocentiæ ac pacis virorum virus, ſplendidâ à Naturâ ſuperficie deauratum, quo minori ſuſpicione deglutiamus? Omnes pulchritudines,

chritudines, omniáq; faſcina veſtra, malorũ Sodomiticorum ſunt inſtar, quæ venuſtis ac illecebroſis fulgentia corticibus, nihil aliud quàm putidum in ſe habent pulverem: Vos veræ Sirenes eſtis, quæ vocis veſtræ melodiâ nos incantatis, dum belluinæ ſervitutis catenis tenetis captivos. Vos veræ Hienæ, quæ pellis veſtræ pulchritudine nos allicitis, & ſtultitiâ noſtrâ in complexum veſtrum tractos adorimini atq; devoratis. Vos ſapientiæ inſidiæ, induſtriæ impedimenta, honoris obſtacula, fortitudinis mollimenta, tranquillitatis turbamenta, virtutis remoræ, ac ad omne genus vitia, impietates, & perniciem, nos agentes ſtimuli. Vos ſtulti Paradiſus, ſapientis peſtis, atque ingens Naturæ mendum! Quid dicam? verba mihi deſunt ad veſtram pravitatem exprimendam, prout defuit ratio ubi pedem in hunc infauſtum, hunc funeſtum locum intuli.

Eructatâ hoc modo hac virulentâ Invectivâ in inſontes ac miſeras mulieres, (quæ verba ab eo longè meliora merebantur) animi ejus ferocia (quæ quicquid obvium eſt prendit) circumagitur,

&

& quod reliquum est bilis in seipsum hic evomit.

Quis Cacodæmon mihi author fuit, ut munia mea desererem, eúmq; ducem in hoc Ossiarium sequerer? Ubinam erat boni mei Genii cura atque vigilantia, quando me passus est in hanc funestam fornicem seduci? utinam in Leonum ac Tygridum lustrum decidissem, quum in hanc mulierem incidi. Tunc enim innocuus & nullo dedecore inquinatus expirassem, quando nunc facinus admisi, cujus piaculum infamis & certa mors erit, nisi ictu Justitiæ declinato, ipse mihi carnifex fiam; quod quum solum relinquatur calamitati meæ perfugium, quid moror ignavus, quin statim ad illud properem? Quid pigris ac inutilibus queremoniis tempus illud insumo, quo, ut ex ultimi infortunii discrimine mihi impendentis meipsum eripiam, ut plurimam mihi opus est? Moriendum enim mihi erit ex sententiâ Magistratûs; quid ergo meâ manu occumbere moror? Quippe ab extrema, ac inevitabili alioqui calamitate, mortem sibi consciscendo, seipsum vindicare

care, ſcelus profectò non eſt, ſed potius heroicæ fortitudinis facinus. Stat igitur ſententia, ſuſpendii ignominiam meo gladio prævertere, ac impetu ad necem pandendo aditum, infamiæ publicæ obviam ire.

Hîc ſævis dictis, juxta ac vitæ, periodum impoſiturus, ferrum repente ſtringit, & capulum humi defixurus, ut cuſpidi incumbat, opportuniſſimè à *piâ Matronâ* inhibetur; quæ toto tempore furoris ejus cauſæ ignara, ad impetuoſos iſtos effectus ſummo ſtupore ſteterat attonita; adeo ut ex omnibus iſtis probris, quibus integrum ſexum ejus proſciderat, nè vel unum verbum animadverterit; ſed mox viſo ferro, ex ſtupefaciente, quo correpta erat, paroxyſmo expergefacta, brachiis ejus ſe implicat, & partim manus ejus comprimendo, partim oſculorum ſuorum faſcinis, lacrymis, ac precibus, rabiem ejus eouſq; compeſcit, ut propriæ cædis patratio, ſaltem dum integram illi de neceſſitate ejus præbeat rationem, haud invitus protrahere videatur. Itaque compendio ei nuntiat, cujuſdam ſuſpenſi corpus, cui

ipſe

ipse custos demandatus erat, patibulo surreptum esse atq; ablatum; ejusmodi necis pœnam sibi, sociisque suis, (qui totum munus suæ curæ atque vigilantiæ delegarant) Dynastæ edicto renuntiatam, sibi certam ac inevitabilem impendere, nisi seipsum occidendo, evadat. Siquo benevolentiæ sensu hominem tam undequaque ærumnosum, ac se hoc ferali casu factum, prosequitur, nullam reliquam esse viam, quâ eum ostendat, quam ut copiam sibi faciat publici supplicii ignominiam avertendi, seipsum clanculum vivis subducendo. Quinetiam nonnihil sibi fore voluptatis in hac sua calamitate, quod corpus suum in eundem, in quem prioris ejus Amatoris pulverem, de cujus singulari dignitate tam honesta fama percrebuerat, reliquerit dissolvendum. Atque hoc modo funesti sui consilii causâ ei raptim patefactâ, rursus manus suas ex digitis ejus tenacibus extorquere tentat, ut idem ad exitum protinus perducat.

Sed heu clemens & misericors Matrona! Major est affectus ejus, quàm ut quicquid ad Amantis interitum conducit

cit fieri patiatur: atque adeo quo acriùs ille luctatur, ut pectus ejus à pectore ſuo divellat, eo preſſiùs illa inhæreſcit; addito quoque ſacramento, nullum eum ſibi vulnus ſe paſſuram inferre, quin priùs per ſuum corpus adegerit mucronem. Denique, ſe tantæ miſeriæ haud ſuperfuturam, ut tam charum ſibi virum tam citò, idq; eodem in loco, in quo eum inopinatò offendendi ei contigerat felicitas, amittat. A ſe ipſa cautum eſſe ſibi, ne ejus vitæ adimendæ aſſentiatur, à quo nuper & miraculoſè conſultum erat ſuæ, & à quo (niſi valdè hallucinatur) novam ſibi vitam acceperat infuſam. Minori ſibi eſſe dolori, eum morte præire, quàm ſupereſſe, ac duorum ſimul cadavera cernere, quorum alterutrum vel ipſa vitâ ſua longè habuerat chariorem. Poſtremo, necem, quam à carnifice metuit, tam inevitabilem non eſſe, quàm ille ex terrore ſibi perſuaſum habet, ideóq; aliter quàm ſeipſum jugulando eum vitæ ſuæ poſſe proſpicere; atque adeo ſi ſibi monenti vult auſcultare, non dubitare ſe, quin eum doceat, quo pacto ſuæ ſaluti juxta con-

consulat, ac votis utriusque satisfaciat. Novissima hac clausâ, quam quæ ante dixerat omnibus, efficaciùs flexus miles, ac vetus illud adagium, *quòd mulieres in effugiis angustiisq; improvisis, longè sunt viris solertiores atque ingeniosiores*, in mentem revocans, facilè promittit, (& quis in ejus loco constitutus non promisisset?) non solùm ejus consilio se autes præbiturum, sed pariturum etiam, modò rationi videatur consentaneum.

Agè ergo (inquit *pia Matrona*) quum Optimi & Maximi mortalium corpus, postquam anima quæ ipsi vitam, sensum, ac motum largita est, excessit, nihil aliud sit quàm luti congeries; quum omnes consanguinitates atque affinitates deleantur, omnis pietas in sepulchro condatur; imò, quum charitas sit (necessitate id postulante) defunctorum reliquiis ad vivorum salutem uti, cur ego non desinam, ex superstitioso ritu, putrescens Mariti mei cadaver cultu posthumo prosequi, ac demum in amici mei superstitis, cujus vita cum mea arctissimè connectitur, ac cujus periculum idcirco æquè meum est, usum salutiferum in-

incipiam convertere? Euge ergo, meum Delicium! Mariti mei corpus ex arca efferamus, ac in suspensi loco, quem surreptum esse dicis, patibulo suffigamus. Mors (non nescis) vultum tantoperè mutat ac deformat, ut nè à familiarissimis quidem agnosci possit. Quis igitur hoc nudum cadaver ab illo distinguet? Præterea, faciem ejus sanie ac cœno oblinemus, ac potiùs quàm quovis lineamento sit dissimile, brachia ejus & crura frangemus, eadémq; ei, quæ latronis corpori carnifex, vulnera infligemus; adeo ut vel proximi ejus & consanguinei, multo minus externi, (qui fera curiositate ducti, tam horrenda spectacula oculis pervagantur, & plerumque procul abstiterunt) nullum discrimen deprehendere possint. Commentum hoc mulieris, quo sibi consulat, mox probat miles; & quum nihil sit temporis (jam enim appetebat Aurora) reliquum ad ejus amoris magnitudinem, sive ingenii felicitatem collaudandam, vires suas cum ejus viribus conjungit; & viri corpus è Crypta ad Furcam asportat, eíq; eodem, quo latronis reliquerat,

rat, modo suffigit; nulla parte lineamentorum, quæ ad spectatores deludendos postulantur, omissa. Quo facto, ipse ac præstantissima ejus Domina ad tenebrosum suum cubile clam se recipiunt, non de præsenti tantùm incolumitate, sed de modo etiam, quo mutuam illam, quam Fortuna tam inopinatò inter eos auspicata erat, beatitudinem perpetuarent, consultaturi. Atq; dum illic deliberant, liceat mihi fœtum, quem animo conceptum gero, parturire; qui est, quòd ingeniosum hujus Matronæ commentum, tam derepente ac in re desperata excogitatum, illud ipsum fuerit, quod ortum dedit huic adagio,

Muliebre ingenium in summis angustiis semper est optimum.

FINIS.

Errata.

Epist. p. 3. l. 4. lege concinnârant. Lib. p. 2. l. 22. l. dirimerent. & l. 23. l. diuturniorum. p. 9. l. 8. l. præstringebatur. p. 14. l. 1. l. animi. p. 16. l. 23. l. vini. p. 30. l. 3. l. Balsaminus. p. 33. l. 16. l. quam. p. 35. l. ult. l. sexui vindictæ studioso. p. 55. l. 6. l. alterum